Fragmentarium

14

omnes homines pertranseant a presenti: ut per
hec consolidet eos in fide. Cito veniet sub.
filius meus per incarnationis mysterium gradi
ens secundum humanitatem ad aperiendum
cor superborum hominum. vel etiam ad aperien
dum infernum: et non interficiet usque
ad internitionem. id est non damnabit statim
ut venerit peccatores. sed expectabit ad
penitentiam. sicut ipse predicavit dicens.
Penitentiam agite. appropinquabit enim
regnum celorum: et nolo mortem peccato
ris sed ut magis convertatur a sua iniquitate
et vivat. Quod que subiunxit. non deficiet
panis eius. vel de ipso filio intelligendum
est. qui dixit ego sum panis vivus: vel
de corpore et sanguine illius. de quo idem
filius dixit. Qui manducaverit panem
hunc vivet in eternum. Vel etiam tercio
modo de doctrina evangelica intelligen
dum est. que numquam deficiet sed semper
observatores suos pabulo vite pascet.
Ego autem sum dominus deus tuus qui contur
babo mare. id est habitatores huius mundi.
et intumescunt fluctus eius. hoc est perse
cutiones malorum hominum commoventur
contra electos: dominus exercituum nomen
meum. id est deus militiarum angelorum vel ho
minum. Apostropham facit ad ipsum filium.
Quando conturbavit deus pater hoc
mare? quando iudeos sevire permisit pro
missum in filium suum: deinde in apostolos et
credentes in se. Et si ipse conturbavit
quare [illegible] tenentur rei illi qui eos sunt
[illegible] deus ipse conturbasse [illegible]

permisit eos conturbari. Posui verbum meum
in ore tuo. id est plenitudinem sapientie
et scientie dedi tibi. Et in umbraculo
manus mee protexi te: id est in protectione divinitatis
custodivi te ne peccares: et ne vilesceret
caro assumpta a verbo: ut plantes celos
novos et fundes terram novam.
et dicas ad syon. hoc est ad ecclesiam populus
meus es tu. Ad hominem assumptum a ver
bo loquitur ista deus pater: in quo inhabi
tat omnis plenitudo divinitatis corpora
liter ex tempore. Quantum enim ad di
vinitatem pertinet nichil accepit ex tempore
a patre. sed omnia possidet communiter cum
patre quippe qui est dei virtus et dei sapi
entia. et per quem cuncta facta sunt ex nichi
lo. Per novum celum et terram novam que precepit
deus pater filio ut plantet et fundet: de
bemus intelligere apostolos apostolicosque viros.
et omnes fideles qui a domino plantati sunt.
et in ipso fundati fide et dilectione dei et
proximi: qui de vetustate peccati reno
vati sunt in novitate fidei. et sancte con
versationis. Elevare. elevare. consurge
ierusalem: que bibisti de manu domini calicem
ire eius. Ad eos loquitur sermo divinus.
qui in passione domini ceciderunt in nega
tionis peccatum et infidelitatis: dicen
tes crucifige talem. et da nobis barra
ban. non habemus regem nisi cesarem. Et sicut
iacenti in lectulo dicitur elevare: ita et illi
precipitur ut eleventur a viciis ad virtu
tes. de infidelitate ad fidem. Eccum

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2657, 14r – Haymo Autissiodorensis, Commentaria in Isaiam (https://fragmentarium.ms/view/page/F-imr4/4081/42527)